



THESIS I.

N omni Rep. summam potestatem sive Ma-
jestatem jus aliquod habere in bona priva-
torum nemo temere in dubium vocabit.

II.

Cum enim Reges creati essent, civile
imperium tueri non potuerunt nisi mediis
ad id necessariis. Necesse itaque fuit, iisdem aliquas o-
pes tribuere, ordinaria subsidia & extraordinaria, quibus
cum regium decus servaretur, tum onera publica suble-
varentur, & in tantum honestas & publica utilitas suo
quasi jure sibi vendicavit, ut Reges ratione jurisdictio-
nis protectionis & administrationis, quasi dominos ef-
fecerit omnium bonorum, ut tantum ex universis Reip.
& privatorum bonis decerpere possit Majestas, quantum
exigit necessitas.

III.

Merito vero ratione jurisdictionis omnia bona Ci-
vium summæ potestati subsunt. Nam omnis Resp. est
societas perfectissima, quæ intendit cives reddere beatos,
ideoque si habet jurisdictionem in ipsos cives multò magis
in civium bona.

IV.

Nec porro ratione protectionis, de Majestate, circa
bona civium & subditorum est dubitandum Si enim Reip.
competit salutem civium quærere, necessitas quoque